



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati
Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos
centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati
restituta, & indicibus locupletata

De Tempore

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1631

Discipulos visitauit Articulus XI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47044)

LVI
E)

multum profuit, quia occasio fuit seipsum vincendi. Si enim delectabile illis fuisset mori, secundum sensum carnis, sicut est comedere, quid meruissent? Ita potestis etiam applicare ad Christum. Habemus hic doctrinam, ut tempore tentationis, tribulationis, angustia, & in omni aduersitate seu tristitia, recurramus ad orationem. Quia oratio est sicut clipeus, contra omnia aduersa. Et Dominus permittit nos sepe incidere aduersitates & tentationes, ut discamus fugere, & ab istis exterioribus nos recolligere ad Deum. Qualis autem oratio nostra debet esse, discimus ex eodem exemplo Christi: Primo solitaria, quia talis est purior & quietior, quando scilicet homo sequesteratus est ab omni homine impediente se. Hoc Christus fecit ad instructionem nostram, licet alias non indigebat: quia non poteram impediri eius oratio. Secundo, humilis: Ideo Christus in facie humi prostratus, orauit. Tertio, deuota & seruens. Hoc ostendit Christus, quando dicit: Mi Pater. Quarto, recta, ut voluntatem suam orans resignet, & nihil velit, nisi quod placeat Deo, sicut Christus fecit. Quinto, charitatiua, id est, cum dilectione proximi, sicut Christus ter surrexit ab oratione, & visitauit discipulos, sollicitudinem gerens pro illis. Sexto, perseuerans, sicut Christus ter eandem orationem orauit, rediens a discipulis.

Ad orationem quid nobis recurrendum.

Oratio nostra exemplo Christi orationis qui fieri debeat.

- I.
- II.
- III.
- III.
- V.
- VI.

IESUS DISCIPULOS VISITAVIT

Articulus, XI.

Quoniam Dominus Iesus in oratione consisteret, recordatus suorum discipulorum, quantumcumque ad Patrem pro seipso intentus, intermisit orationem & curam habuit suorum discipulorum. Cum ergo surrexisset ab oratione & venisset ad eos, inuenit eos dormientes. Et dicit Petro qui se putabat fortiorem aliis, qui dixerat: Si omnes fuerint scandalizati &c. sic: *Simon dormis? ubi est nunc pollicitatio tua, ubi fortitudo tua? Non potuisti vna hora vigilare mecum? quomodo ires pro me in carcerem & mortem?* Deinde dicit ad omnes. *Vigilate & orate, ne intretis in temptationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Et iterum secundo abiit & orauit eundem sermonem, dicens: *Pater mi, si non potest transire calix iste, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Et venit iterum ad discipulos suos, & inuenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum graues. Et relictis illis, iterum abiit & orauit eundem sermonem, dicens: *ut supra.* Docemur hic, quantam dilectionem debemus habere & curam pro fratribus tentatis, quando Christus in re tam seria ter ab oratione cessauit, respiciens ad discipulos, & hoc maxime requiritur a Praelatis.

Math. 16.

Ibidem.

Cura quantum habenda & dilectio erga fratres tentatos.

IESUS EST AB ANGELO CONFORTATUS.

Articulus XII.

Quoniam Dominus Iesus tertio redierat ad orationem, apparuit ei Angelus de caelo confortans eum. Talis confortatio Angeli, forsitan nihil aliud fuit, quam assistentia: sicut amicus amicum, vel etiam seruus Dominum suum, sua praesentia nititur consolari. Et si forte aliqua verba consolatoria dixit, hoc fuit ex humilitate Domini Iesu, qui non refugit etiam consolari a seruo. Legitur alias, quando in deserto fuit tentatus a diabolo & esuriis, accessit.

Confortatio Domini Iesu qui intelligatur.

Math. 4.

Marc. 4.

Luc. 4.

LL 4 accessit.